1754

complectentis praesentisq cessi et transfusi vigore.

Ciolek Poniatowski Consorti suae debet.

Comparens personaliter coram Officio et Actis praesentibus Castrensibus Capitanealibus Praemysliensibus Generosus Ignatius Ciolek Poniatowski, olim Gnosi Adami Ciolek Poniatowski filius, sanus mente et corpore existens, a Terris, Districtibus, Iuribus Iurisdictionibusq suis quibusvis propriis et competentibus
745 recedendo praesenti vero Castrensi Capitaneali Praemysliensi Iurisdictioni, quo ad Actum hunc atq se cum Successoribus, Bonisq suis generaliter omnibus totaliter et plenarie incorporando atq subiiciendo, palam libere, publice, ac per expressum recognovit. Quia ipse Gnosae Catharinae Szornelowna, Gnosi Procopii Szorney cum olim Gnosa Hedwigi Mierzeiowska Consorte eius legitima procreatae filiae, sui vero Recognoscentis Consorti legitimae, et ipsius Successoribus summam Duorum Millium florenorum Polonicalium moneta et numero in Regno currentis quemlibet florenum Grossis Triginta Polonicalibus computando et numerando certi veri iusti et liquidi Debiti, mutuatique apud ipsos per se Recognoscentem pecunia tenetur atq debet, Quam quidem summam suprascriptam Duorum Millium florenorum Polonicalium idem suprascriptus Recognoscens Gnosus Ignatius Ciolek Poniatowski, se suosq Successores in et super Bonis suis generaliter omnibus, haereditariis et obligatoriis, mobilibus et immobilibus, Summisque pecuniariis quibusvis, habitis et habendis suprascriptae Generosae Catharinae

Szornelowna Consorti suae legitimae eiusque Posteris, hinc et ab Actu praesenti pro Die et Festo Nativitatis Sancti Ioannis Baptistae in Anno Millesimo Sexcentesimo Septuagesimo Quarto proxime et immediate venturo realiter et in effectu soluturum, et coram Officio Actisque praesentibus Castrensibus Capitanealibus Premisliensibus repositurum et relicturum, repositamque et relictam rursus ab eodem Officio non effideiussurum nec arestaturum, vel quovis alio modo, solutionem summae eiusdem praepediturum et impugnaturum inscribit et obligat praesentibus. Idque sub vadio simili summae Duorum Millium Florenorum Polonicalium per eundem Recognoscentem Generosum Ignatium Ciołek Poniatowski, sive eius Posteros, supramemoratae Generosae Catharinae Szornelowna Consorti suae Legitimae, vel eius Successoribus, ob non solutionem summae suprascriptae pro tempore et loco superius expressis ad solvendum succumbendo. Pro quo quidem vadio modo praemisso ad solvendum succumbendo, nec pro re aliqua principali ex praemissis non completa complenda, summaque ipsa principali non soluta solvenda, Citatus existens memoratus Recognoscens Generosus Ignatius Ciołek Poniatowski sive eius Successores, ad instantiam praefatae Generosae Catharinae Szornelowna Consortis suae Legitimae vel eius Posterorum ad Officium praesens Castrense Capitaneale Premisliense, sive etiam Castrense Capitaneale Sendomiriense, ad quod prius, ex ipsis citabitur, extunc recessu suprascripto quoad respondendum spectat mediante semper in primo Citationis Termino tanquam peremptorio stare

1756

Iuri parere respondere, Vadium præfatum luere, Inscriptioni præsenti satisfacere ac omne iudicatum pati debebit et tenebitur, seque ac suos Successores ad eadem omnia inscribit et obligat præsentibus, illum Terminum primum peremptorium, et alios omnes exinde consequentes, Causa eiusdem Termini nos semper peremptorios, vera infirmitate, proximiori minorennitate Successorum, Legatione intra vel extra Regnum, servitio militari, ad munimenta, ad Evictorem, vel alijs quibusvis dillationibus et legalibus impedimentis non differendo, ad quietationem praeterea ultra praxemos Officii præfati Castrensis Capitanealis Præmysliensis sive etiam Castrensis Capitanealis Sendomiriensis Terminos dillationis non recipiendo, nullasque Motiones, Appellationem sibi non recipiendo, nullasque prosecutiones faciendo, ac præmissa omnia Poenis simplicibus vel triplicatis, Evasionibus, Suspensionibus, fatalis Iuris præscriptione, Terrestri Sello, Conventioneque ac alijs omnibus Iuris remedijs et defensis non subterfugiendo, nec modo alio quovis evadendo. Hac sua præsenti personali Recognitione ad præmissa omnia mediante.

Ciolek Poniatowski M.co Grudzinskiemu cedit.

145. Copia

Comparens personaliter coram Officio et Actis præsentibus Castrensibus Capitanealibus Præmysliensibus Generosus Ignatius Ciolek Poniatowski olim Generosi Adami Ciolek Poniatowski filius et Successor Legitimus, sanus mente et cor-